



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Svffraganeorvm Cantuariensis Ecclesiae ad Innocentium Papam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

## 330 Epistolarum Innocentij III.

me Deus adjuvet & hæc sancta Dei evangelia.

### IVRAMENTVM COMITIS Ildebrandini.

Epist. 578.

**E**GO Comes Ildebrandinus ab hac hora in antea fidelis ero beato Petro & Domino meo Papæ Innocentio ejusque successoribus canonicè intrantibus & sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Non ero in factò, neque in dictò, neque in consilio, aut in consensu, ut vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium quod per se vel per suum nuntium aut per suas literas mihi manifestaverint, ad eorum damnum me sciente nulli pandam. Si eorum certum damnum sciero, si possum, remanere faciam, sin autem, aut per me aut per meum nuntium vel per talem personam, quam pro certo credam eis dicturam, significabo. Papatum Romanum & regalia beati Petri, & nominatim Montem altum, & quicquid aliud teneo de ipsis regalibus, adjutor ero ad retinendum, quæ non habet ad recuperandum, & recuperata ad retinendum & defendendum contra omnes homines. Cùm autem à Domino Papa fuero requisitus per literas ejus aut per nuntium suum certum, ad præsentiam ejus accedam, ubi securus possum accedere, & in manibus ejus ligium hominum ei faciam. Hæc omnia bona fide sine fraude & malo ingenio observabo. Sic me Deus adjuvet & sancta hæc evangelia.

### ODDONI EPISCOPO & Capitulo Pennens.

Epist. 579.  
Confirmat compositionem factam inter Episcopum Pennensem & monasterium S. Viti de Furca.

**I**Nnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Oddoni Episcopo & dilectis filiis Canonicis Pennensibus salutem & apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente comple-  
re. Eapropter vestris justis postulationibus \* impartientes assensum, quæ inter bonæ memoriæ Odorisi Pennensem Episcopum & Odolerium Priorem sancti Viti de Furca, super justitiis quas Pennensis Ecclesia in Ecclesia sancti Viti de Piscaria, quæ memoratæ Ecclesiæ sancti Viti de Furca noscitur esse subjecta, diocesana lege tanquam matrix Ecclesia

\* benignum

vindicabat, amicabiliter intercessit, sicut legitime facta est & ab utraque parte recepta, & hæcenus observata, ut in scripto authentico confecto exinde continetur, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum XIII. Kal. Maij, pontificatus nostri anno primo.

### REGI ANGLIÆ.

**I**Nnocentius Episcopus servus servorum Dei illustri Regi Angliæ salutem & apostolicam benedictionem. Quoniam de regia celsitudine spem certam & fiduciam obtinemus ut Ecclesias & ministros ecclesiasticos dignè satagat honorare, ipsosque suæ defensionis & protectionis munimine confovere, regalem magnitudinem ad hæc libenti animo apostolicis exhortationibus invitamus, & animum tuum ad ea volumus inducere per quæ Regi Regum, cujus propitiante gratia regni obtines dignitatem, dignis operibus valeas complacere, ipsiusque tibi conciliare favorem. Nos itaque pro dilectis filiis nostris monachis Cantuariensis Ecclesiæ preces apostolicas porrigimus, magnificentiam tuam rogamus, monemus, & in Domino attentius exhortamur, quatenus ipsos & eorum Ecclesiam propensius habeas commendatos intuitu precum nostrarum, & ob reverentiam gloriosi martyris Christi Thomæ, qui sanguine martyrij Cantuariensem Ecclesiam illustravit, & à malignantium propulsione defendas, & eis sua jura illibata studeas & integra conservare. Datum Romæ apud sanctum Petrum Non. Martij, pontificatus nostri anno primo.

Epist. 580.  
Scribit pro monachis Cantuariensibus.

### SUFFRAGANEORVM Cantuariensis Ecclesiæ ad Innocentium Papam.

**R**everendo Patri & Domino Innocentio Summo Pontifici suffraganei Cantuariensis Ecclesiæ salutem. Gratias agimus gratiæ largitori, qui suam fundans Ecclesiam supra petram, in Petro & per eum in successoribus ejus fratres suos confirmandos esse prædixit. Unde & cùm de beatæ recordationis Celestini Papæ III. obitu essemus perturba-

Epist. 581.  
Retribuit in causâ capellæ de Lambec. Vide supra epist. 42.

ti, superveniens nuntius electionis vestrae nubilum nostrae tristitiae desiderabiliter serenavit. Non reliquit nos orphanos, qui pro patribus filios, qui loco sanctorum suscitavit Nazarcos. Congratulamur gratiae Dei, qui vos à primitivis adolescentiae motibus ita erudit & informat ad tantae mysterium dignitatis, ut Ecclesiae incolumitas tota post Deum de vestrae potestatis auctoritate pendeat, & quae in aliquibus membris suis infirmata est, sub indulto nobis Innocentio ad justitiam & innocentiam convalescat. Noverritis igitur quòd susceptis paternitatis vestrae literis ad venerabilem patrem nostrum Cantuariensem Archiepiscopum & nos directis, quarum vobis transcripta transmisimus, ad mandatum praedicti patris & Metropolitanus nostri Cantuariae infra XXX. dies susceptionis illius cum omni devotione convenimus, carissimo fratri nostro Conventrensi Episcopo manum consecrationis una cum eodem Archiepiscopo imposituri, & super his quae à vestra sanctitate in mandatis accepta fuerant communi deliberatione & consilio tractaturi. Nos autem ibidem pro his & ad haec specialiter constituti, praedictum patrem & Archiepiscopum nostrum devotum invenimus, ut in his quae injuncta fuerant, licet gravia viderentur, vestrae dispositionis imperio juxta mandati formam & nostrae universitatis consilium obediret. Cum autem satis exacta deliberatione super his invicem tractarem, quibusdam nostrum scilicet, quibus rei gestae series plenius quam ipsi Archiepiscopo innotuerat, constanter assententibus, multis etiam viris magnis & prudentibus & fide dignis id ipsum assertive protestantibus, pariter advertimus religionem vestram ex suppressione veritatis multipliciter circumventam. Primò, quòd cum capella, de qua agitur, de speciali indulgentia pia recordationis Urbani Papae in honore beatorum martyrum Stephani & Thomae à bonae memoriae B. Archiepiscopo constructa fuerit, sicut eam beatus martyr Thomas plurimique ipsius praedecessores in honorem Protomartyris Stephani praekoncepterant construendam, nec in litteris Urbani Papae, quae de eadem capella demolienda dicuntur emanasse, nec in praescriptis vestrae sanctita-

tis apicibus, quae ipsius Urbani Papae litteris maxime videntur inniti, de praedicta indulgentia mentio facta fuit, unde nec ipsius indulgentiae vigor per has vel illas videbatur infirmari. Secundò, quòd inclitae recordationis Gregorius Papa indulget ut per literas Domini Urbani praedecessoris sui à tribus mensibus ante obitum suum contra Archiepiscopum B. & Clericos suos directas, nisi de novo mandato, minime procederetur. Unde cum litterae ejusdem Urbani per indulgentiam ejusdem Gregorij suspensae fuerint, & nulla Clementis Papae vel alterius post illum inhibitiō super hoc innotuerit, nihil in apostolica prohibitionis contemptum circa praefatam capellam videretur attemptatum. Tertio, quòd cum monachis Cantuariensibus in causa dicta procedendi facultas non suppeteret, eò quòd Urbani litteras Gregorij indulgentia suspendisset, interventu Domini R. illustris Regis Angliae & venerabilis W. Rothomagensis Archiepiscopi, necnon & Dunelmensis, Wintoniensis, Saresberienensis, Conventrensis, Rossensis Episcoporum, & Cancellarij Angliae tunc Eliensis electi, iisdem monachis instantibus in Capitulo Domino & illustri Regi Angliae & Abbate Cisterciensi multisque aliis & magnis praesentibus recitata, super haec ita convenit, ut capella quae prope muros Cantuariae fabricata fuit, in locum remotiorem, quemcumque delegisset Archiepiscopus, sine subsequutura reclamatione liberè transferretur. Sed & iidem monachi omnibus aliis querelis spontanea voluntate renuntiaverunt, seque dispositioni Archiepiscopi sui per omnia subjecerunt, & sicut à quibusdam fratrum nostrorum audivimus, Archiepiscopus & monachi sui se invicem in pacis osculo receperunt. Quarto, quòd cum bonae memoriae Celestino Papae processus totius negotij innotuisset, praefato Archiepiscopo nostro de praedicta Capella & praebendis ejus ad indemnitate Cantuariensis Ecclesiae liberè disponendi facultatem indulget, & sic statum capellae confirmavit. Unde postmodum memoratis Archiepiscopo & monachis super eadem dispositione tractatum habentibus, unanimi assensu complacuit per nuntios utriusque partis ad sedem

*Vide cap. Quodnam ad Episcoporum. De rescriptis in secunda Collectione.*

apostolicam destinandos sedis ipsius consilium super hoc exoptare & expectare, Archiepiscopo id consilio Domini Patris committente, ut in ejus esset dispositione sub quibus cautionibus, manente capella, Cantuariensis Ecclesie provideretur indemnitati. Nuntiorum autem predictorum iter duo de monachis Cantuariensibus praevenientes, praeter conscientiam vel Archiepiscopi vel Prioris & Conventus, sicut idem Conventus in Capitulo super hoc requisitus viva voce protestatus est, à claustrò clanculò recedentes, & ob hoc ab Archiepiscopo non immeritò secundum regularem disciplinam sententia sunt excommunicationis innodati, qui tacita veritate vel egressus eorum vel sententiae quam justè super hoc exceperant, iidem eorum quae supra meminimus litteras praedictas ad ipsum Archiepiscopum & nos impetraverunt. His rationibus cum universitati nostrae videretur esse juri consentaneum vestraeque paternitati placitum litterarum executioni supersederi, donec super rei veritate vestra instrueretur religio, dictus etiam Archiepiscopus, ne quid mansuetudinis & humilitatis omitteret, ex abundanti tam per se quam per nos instanter obtulit ut de electis quos monachi Cantuarienses vellent Episcopis vel cujuscunque ordinis viris religiosis de omnibus quae praecesserant, & de hujus mandati executione acceleranda vel differenda, eorum pareret arbitrio. Monachis autem haec voluntariè magis quam justè recusantibus, praemissis moti rationibus ipsum Archiepiscopum ad hoc induximus, ut ipso interim subsistente, de solita sedis apostolicae clementia confidentes, totum negotium ad vestram excellentiam referremus; supplicantes attentius ut ita super hoc vestra disponat prudentia, ne inter regnum & sacerdotium in Anglia jam orta dissensio invalescat. Turbati sunt enim vehementer ex hoc mandato Rex & regni magnates, eò quòd jure canonico videatur licitum, & haecenus consuetudine Anglicana obtentum, ut tam Archiepiscopi, quam Episcopi, quam etiam laici, auctoritate diocesani Episcopi possint Ecclesiam conventualem in suo construere fundo. Vos igitur, Pater in Christo carissime, quod super

hoc expedire videritis, veritate cognita disponatis. scituri profectò quia quòd statueritis Dominus Archiepiscopus & nos debito & devoto exequemur affectu. Quòd si sanctitati vestrae testimonium nostrum videatur minùs sufficere ad fidem, placeat vobis pleniorum hujus veritatis inquisitionem aliis quos elegeritis demandare, quorum relatione vestra sublimitas edocta, quòd altissimo magis placere noverit, diffiniendo decernat.

*ABBATVM CISTERCIENSIVM  
regni Angliae ad Papam.*

**R**everendo Domino & Patri Innocentio Dei gratia Summo Pontifici, suae sanctitatis filij & servi devotissimi, E. Rievallis, R. de Boxeleia, I. de Forda, B. de Straford, W. de Ponte Roberti, H. de Stanlege, & W. de Basinguvas Abbates, totiusque Cisterciensium Abbatum de Anglia Conventus, salutem debitam, cum humili subjectione, reverentiam & obedientiam. Cum sacrosancta Romana Ecclesia, cui Domino disponente praestis, mater sit omnium Ecclesiarum in Christo, in multiplicandis eis, enutriendis, ac defendendis materna caritate atque sedulitate uti consuevit, & sic de adulta jam sobole gratulari, ut novam quotidie procurare non desinat. Quòd si in tot filiis ejus duo aliqui se in utero ipsius aliquando collidunt, materna gravitate atque prudentia litem hanc dirimere novit, & in id ipsum reducere dissidentes, ne & ipsi ab invicem consumantur, & ipsa utroque orbetur filio una die. Hinc est quòd pro beati Thomae martyris Ecclesia, quae ac si recens purpura totam vestit & ornat Ecclesiam Dei, quanta possumus gemituum ac precum profusione paterna viscera pulsamus, ut convertamini aliquatenus, & clementius aliquid cogitetis super eam. Securis enim apostolica jam ad radicem plantationis hujus novellae, quòd gementes dicimus, posita est. Sed si terram non occupat, si fructum facit, si denique fructum plurimum, securim vestram vel ad modicum suspendi humiliter supplicamus. Sanè non sine nutu divinae dispensationis beatus martyr in loco nativitatis suae memoriam sibi elegisse viderur, pra-

*Epist. 72.  
De eodem at-  
gumento.*